



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXXI. De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

veniale. Tambur. *De Expedit. Confess. lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 45.*

38. *Quer.* An peccaret mortaliter, qui se acularret tantum de uno peccato veniali, quod non fecisset? *Resp.* Magis communem opinionem esse affirmativam, quia magna est culpa reddere Sacramentum irritum ex proposito. Diana *part. 3. tract. 4. resol. 96.*

39. *Quer.* An sit mortale, mentiri in Confessione circa mortalia alias confessa? *Resp.* Negativè, si illa non habeat connexionem cum confessione praesenti. Ceterum si aliquo modo connectantur, puta quia confessorius interrogaret ad cognoscendum, an poenitens habeat consuetudinem sic peccandi, ad hoc ut posset ei opportuna remedia dare, sentiunt Doctores, poenitentem mentiri non posse absque culpa mortali. Jo. Pontius *disp. 45. §. 4. num. 32.* Diana *part. 11. tract. 7. resol. 37.* & Coton. *d. lib. 2. Controv. 6. num. 9.*

40. *Quer.* An poenitens possit habere duos Confessarios, & uni prius confiteri peccata gravia, alteri verò levia ad servandam sui bonam opinionem apud illum? *Resp.* Affirmativè, neque posse in hoc ad lethalem culpam condemnari; nisi ex tali modo arriperet occasionem perseverandi in consuetudine peccati. Dian. *part. 3. tract. 4. resol. 132.* Coton. *ibid. num. 12.* & Candid. *disp. 32. art. 1. num. 6.*

41. *Quer.* Quid agendum, si Confessio facta fuerit sine integritate, vel sine fidelitate? *Resp.* Si ita facta sit ob malitiam, vel ob ignorantiam crassam, repetenda est confessio, & iterum facienda de omnibus peccatis, si verò absque malitia, vel ex ignorantia invincibili, sufficit confiteri peccatum omissum, vel circumstantiam non explicitam. Coton. *ubi ante num. 72. & 73.* Ego ipse *de Poenitent. Decis. 31.*

42. *Quer.* Ad quid teneatur poenitens, si cognoscat Confessarium ob somnum non audivisse sua peccata, vel aliquod peccatum; aut ob ignorantiam non pervenisse ad perfectam notitiam malitiae, seu gravitatis peccati? *Resp.* In casu somni repetendam esse confessionem; in casu verò solius ignorantiae, si poenitens bona fide confessus est, ad nihilum amplius teneri ex magis communi Doctorum opinione. Diana *part. 11. tract. 4. resol. 10.* Coton. *ubi ante num. 73.* & dict. *mea Decis. 31.*

43. *Quer.* Qualem obligationem habeat poenitens, qui omisit in Confessione mortale peccatum, credens vel non esse mortale, vel non esse confitendum? *Resp.* Si id egit bona fide, & ignorantia inculpabili, non teneri, nisi ad illud peccatum confitendum; quod si secus egerit, totam confessionem repetere debere. Coton. *ibid. num. 74. 75. & 76.* qui *num. 77.* subdit, quod si poenitens sit in dubio, an tacuerit bona fide, vel ex malitia, tutius esse, ut repetat totam confessionem, quia in dubio standum est pro praeccepto integritatis; & fidelitatis in confessione.

44. *Quer.* An sint repetendae etiam Confessiones posteriores rite factae post illam primam male factam? *Resp.* Negativè, si has

bona fide fecerit; secus si cum conscientia erronea, & stimulo malae confessionis praecedentis. Diana *part. 11. tract. 6. resol. 58.* Coton. *num. 78.* dict. *mea Decisio 31. de Poenitent. omnino videnda.*

CAPUT CXXI.

De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

1. *Quer.* Quis possit absolvere à peccatis, vel sit verus Minister Sacramenti Poenitentiae? *Resp.* Sacerdos, qui Parochiale beneficium obtinet, vel facultatem audiendi confessiones obtinuit ab Episcopo, vel à Papa. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15.*

2. *Quer.* Cur non omnis Sacerdos possit validè absolvere, si in ejus ordinatione datur ei à Deo immediate facultas absolvendi per illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum dimiseris peccata, remittuntur eis &c.*? *Resp.* Quia illa potestas, quamvis jure divino tradita, non potest exerceri, nisi in subditos, eò quia absolutio per modum iudicii conferenda est, & iudicium in non subditos non exercetur. Conc. Trident. *d. sess. 14. cap. 7.* & quamvis DD. insudent in explicanda hac quaestione, veritas ita est; & termini, quibus Doctores utuntur, sunt sequentes: nempe quod in ordine datur à Deo Sacerdoti jurisdictio habitualis, potestas verò ab Ecclesia actualis; vel quod à Deo datur potestas remota; ab Ecclesia verò proxima; vel quod in ordinatione datur jurisdictio, sed suspensa, donec ab Ecclesia deputentur subditi, in quos exercetur sicut ille, qui lauream Doctoratus assequitur, obtinet jus iudicandi, sed iudicare non potest, nisi à Principe ei assignetur populus, quem iudicet. Coton. plurimos cumulat ubi ante *lib. 2. Controv. septima per totam.* Ego ipse *de Poenit. Decis. 37. num. 7.*

4. *Quer.* An Parochus, vel Confessarius approbatus in Dioecesi Patavina possit absolvere Patavinum, si ambo reperiantur extra Dioecesi Patavinam? *Resp.* Affirmativè infra scripti DD. si uterque habeat domicilium in Dioecesi Patavina, & Confessarius non sit approbatus ad audiendas confessiones in aliquo loco particulari tantum. Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 34. num. 2.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 144.* Coton. *d. lib. 2. Controv. 7. num. 16. & num. 76.* Sed hodie respondendum est negativè; stante Bulla Clementis Papae Decimi Incipien. *Superna.* Quae est in Bullario tom. 6. Const. 7. quod à me notatum est *de Poenit. d. Decis. 37. num. 20. & 21.*

4. *Quer.* An Monialibus possit dari Confessarius extraordinarius ultra tres vices per annum; & an dandus sit uni Moniali in particulari? *Resp.* Quod quamvis neget Gavantus in *Verb. Monialium cura spiritualis*, tamen asserunt ex Regularibus multis, quos allegat Diana *part. 6. tract. 8. resol. 28.* & Coton. *ubi ante num. 30.* Tutius est dicere, id arbitrio Episcopi esse remittendum, qui in hoc summa prudentia debet procedere; nam quandoque malum erit denegare Confessarium particularem, aliquando malum erit illum concedere, ut experientia demonstrat, & differui *de Poenit. Decis. 41.*

5. *Quer.*

5. *Quer.* An, qui tempore Paschæ adveniente confitetur Regulari, teneatur iterum confiteri Parocho, vel sufficiat prior confessio pro adimplendo præcepto de annua confessione facienda? *Resp.* Nonnullos Theologos Parisienses tenuisse, præceptum non impleri, nisi confessio fieret proprio Parocho; at talis opinio damnata fuit à S. Congr. quæ censuit, adimpleri per confessionem factam Regulari; & S. Congr. sententiam confirmavit Innoc. X. die 7. Februar. 1645. testante Diana part. 11. tract. 6. resol. 3. & Cotonius num. 33.

6. *Quer.* An Episcopus possit revocare licentias audiendi confessiones antea concessas Presbyteris tam Sæcularibus, quam Regularibus? *Resp.* Affirmativè, si eas concessit ad suum beneplacitum duraturas. si verò indefinite eas concessisset, non posset revocare, nisi aliqua iusta causa subsisteret: ideòque Episcopus Patavinus de anno 1654. magnam litem habuit cum Regularibus, qui ob revocationem sibi audiendi confessiones licentias ad S. Congr. recursum habuerunt, sed quia Episcopus legitimam causam Sac. Congr. docuit, Victor evasit; & inde cepit licentias unicuique ad annum tantummodo concedere. Coton. d. lib. 2. Controv. 7. num. 42. & 43. ut retuli de Pœnit. Decis. 38.

7. *Quer.* An facultates audiendi confessiones, concessæ ab Episcopo, durent eo mortuo, vel eo ad aliam sedem translato? *Resp.* Affirmativè, quamvis contrarium plures DD. scripserint, quorum opinionem experientia rejecit; nam omnes confessarii continuant in ministerio, donec Vicarius Capitularis, vel Episcopus successor eos convocet ad novam licentiam suscipiendam. Coton. ubi supra num. 45.

8. *Quer.* An de jure simplex Sacerdos absque positiva licentia Episcopi possit confessiones Sacramentales audire, & absolvere? *Resp.* Olim omnes affirmabant in duobus casibus ex communi calculo Doctorum: primo in mortis periculo; & secundo, si agatur de confitendis tantum venialibus culpis, vel mortalibus aliis confessis. Diana part. 5. tract. 14. resol. 86. Cotonius ubi supra num. 55. & 56. Hodie tamen non est permixtum, confiteri venialia Sacerdoti non approbato, quia id est prohibitum ex Decreto Sac. Congregat. Concilii circa Communionem Quotid. die 12. Februar. 1679. posito in meis Decis. de Eucharistia decis. 10. Et de Pœnitentia Decis. 15. num. 30. & Decis. 44. num. 48.

9. *Quer.* An in mortis articulo absolutio Sacramentalis validè detur à Sacerdote etiam excommunicato, vel suspenso, vel schismatico, vel etiam hæretico? *Resp.* Affirmativè, quia neque censura; neque hæresis tollit characterem, à quo in dicto casu provenit validitas absolutionis Sacramentalis. Diana part. 8. tract. 1. resol. 2. Coton. num. 60. Controv. 7. lib. 2. At contrarium docet Fagnanus à me relatus de Pœnitent. Decis. 42. num. 2. Si sit excommunicatus denunciatus, asserens sic decisum à Sacra Congregatione.

10. *Quer.* Quid sit articulus mortis, & periculum mortis? & an in utroque quilibet

Confessarius possit absolvere à peccatis? *Resp.* Articulus mortis esse, cum mors jam proximè instat, & inevitabiliter, ut cum infirmus derelictus est à Medicis, vel reus est damnatus ad mortem. Periculum verò mortis dicitur, quando probabile est mortis dubium ex conditione illius status, in quo frequenter mori contingit, exempli gratia, in dolore laterum, in pleuritide, in prælio terrestri, vel maritimo, in ingressu longæ navigationis, in Navi non bene provisa, in ortu tempestatis, in capitali banno ob continuum periculum interfectionis; tempore partus propinquantis, maxime ubi expertæ non sint obstetrices; si pestis sæviat in civitate; in quibus omnibus casibus potest simplex Sacerdos confessiones audire, & absolvere; quia in hac re, in qua agitur de animæ periculo, non est expectandus mortis articulus, sed sufficit probabile periculum moriendi. Coton. alios allegans ubi supra num. 61. Versi. Ego consentio. Et dixi de Pœnit. decis. 37. num. 27.

11. *Quer.* An in articulo, vel in periculo mortis, confessio fieri possit simplici Sacerdoti, si adsit Parochus, vel Sacerdos approbatus? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; sed in tali casu negativam prevalere; nisi forte Parochus, vel approbatus, aliqua censura esset irretiti; tunc enim præferendus esset simplex Sacerdos; & ubi quilibet Sacerdos haberet aliquod canonicum impedimentum, suspensio, & interdicti essent præferendi irregularibus; irregulares verò excommunicatis denunciatis, hos autem degradatis; degradatos verò catholicos hæreticos. Coton. ubi supra num. 62. qui monet, talem distinctionem personarum servandam esse, ubi tempus eam admittat; vel nisi moribundus jam cepisset facere suam confessionem cum aliquo ex prædictis; tunc enim licet perveniret, qui magis esset idoneus, nihilominus posset continuare suam confessionem cum primo minus idoneo. De excommunicatis denunciatis, degradatis, & hæreticis dic ut supra quas. 9.

12. *Quer.* An Episcopus possit negare licentiam audiendi confessiones Sacerdoti aliis idoneo, & merenti? *Resp.* Affirmativè, quamvis enim non licet videretur negare; tamen validè negaret, quia stat in ejus arbitrio illam concedere, vel non limitatam, vel ad beneplacitum. Diana part. 11. tract. 2. resol. 19. Cotonius dicit. lib. 2. Controvers. 7. num. 79. & 80.

13. *Quer.* An Episcopus novus possit suspendere omnes Confessarios, & eos vocare ad novum examen, etiam Regulares? *Resp.* Affirmativè, ex decreto Sac. Congreg. relato per Dianam, & Barbosa, quibus citatis adhæret Coton. ibid. num. 82. Ego ipse de Pœnit. Decis. 38. num. 18.

14. *Quer.* An dari possit Confessio invalida ob nimiam Sacerdotis ignorantiam? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed modernos Theologos amplecti opinionem negativam, earatione, quia ad validitatem Sacramenti sufficiunt materia, nempe actus pœnitentis; forma, nempe absolutio; & intentio, quæ in Sacerdote etiam ignorante non desunt; ideò

valida esset confessio; quamvis sic audiendo confessiones Sacerdos ignorans peccaret. *Coton. ubi ante num. 85. & in meis Decisionibus de Pœnit. Decis. 31. num. 16.*

CAPUT CXXII.

De Casibus reservatis.

1. *Quer.* Qui possint peccata sibi reservare? *Resp.* Papa in toto Orbe; Episcopus in sua Diocesi; & Prælati Regulares, seu alii inferiores in suis subditis. *Coton. ubi supra num. 86. 87. lib. 2. Controv. 7. Ego ipse in Decisionibus de Pœnit. Decis. 44.*

2. *Quer.* An puellæ faculares degentes in Monasteriis subiectis Regularibus, afficiantur reservationibus Episcopi, seu Regularium Prælatorum? *Resp.* Esse hinc inde opiniones. Alii enim volunt, eas subiacere reservationibus Episcopi, quia ipsæ puellæ non sunt exemptæ. Alii è contra, quia locus est exemptus, volunt eas subiacere reservationibus Regularium Prælatorum pro peccatis reservatis commissis, dum morantur in Monasterio illis subiecto. *Diana par. 10. tract. 14. resol. 7. Coton. ibid. num. 88.*

3. *Quer.* An Episcopus possit reservare peccata, absolvenda vel à Decano Capituli, vel ab alio Confessario per eum nominando? *Resp.* Affirmative, ut ex Suarezio, & Cardinali de Lugo tenet *Coton. contra Sotum ubi ante num. 90. 91.*

4. *Quer.* An Papa, vel Episcopus possent reservare sibi absolutionem venialium? *Resp.* De rigore juris posse; sed inutilem evasuram talem reservationem, cum necessariò venialia confiteri non oporteat, sique non expediret venialia reservare, aut peccata mortalia alias confessa. *Diana par. 8. tract. 1. resol. 52. Coton. ubi ante num. 91. 92. 93. Vide d. meam Decis. 44. num. 7.*

5. *Quer.* An reservari possint peccata interna? *Resp.* Negare Bordon. *tom. 1. resol. 37. num. 9. Sed affirmare Dian. part. 8. tract. 1. resol. 53. cui adhæret Coton. num. 94. subdicens, quòd illa ratio, Ecclesia non judicat de occultis, procedit in foro exteriori, & quo ad censuras; secus autem in foro Pœnitentiæ, & interno. Subdit tamen, non expedire talem reservationem, quia si peccator de internis non corrigatur, citò deveniet ad externa, quæ consultiùs possunt sub reservatione restringi. Ego ipse d. Decis. 44. num. 9.*

6. *Quer.* An quæcunque peccata externa possint reservari, etiam dubia? *Resp.* Affirmative, quo ad validitatem reservationis, negative verò quò ad rectam methodum reservandi, nam Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. monet, graviora tantum crimina solita esse reservari. *Coton. num. 96. & 97. lib. 2. Controv. 7.*

7. *Quer.* Quot, & qui Casus sint Papæ reservati? *Resp.* Esse Papæ reservatos viginti casus comprehensos in Bulla Cœnæ Domini; & ulterius sequentia. *Primò*, violatio clausuræ Monialium ad malum finem. *Secundò*, percussio gravis Clericorum. *Tertiò*, simonia realis scienter contracta. *Quartò*,

Dott. Clericali Tom. II. Lib. VII.

confidentia beneficalis. *Quintò*, monachia, seu duellum. *Sextò*, extractio reorum ab Ecclesia absque licentiâ Episcopi. *Septimò*, absolutio à reservatis Papæ, seu Episcopo sine debita licentiâ. Et in his omnibus casibus incurritur excommunicatio. *Coton. num. 100. 101. 102. & 103. Vide meam decis. 41. num. 12. de Pœnitentiâ.*

8. *Quer.* Qui, & quot Casus sint reservati Episcopo? *Resp.* Esse valde discordes circa hoc quæsitum Theologos, & Canonistas, ut ex Gloss. in cap. 2. verb. Reservantur, de Pœnitent. in 6. & ex Piaficio in Praxi par. 2. cap. 2. num. 13. & seqq. Porro præcipui casus sunt sequentes. *Primò*, hi omnes, quos Episcopus in sua Synodali Constitutione, vel Edicto particulari sibi reservat. *Secundò*, percussio levis Clericorum. cap. Pervenit, 17. de Sentent. excommunic. Ac etiam gravis, si percussor ob legitimum impedimentum non possit accedere ad Papam, vel ad ejus Legatum. *Barbos de Offic. & Potest. Episcopi, Alleg. 42. num. 7. Que autem sint legitima impedimenta, declarat Jord. lib. 3. tit. 4. num. 35. & seqq. Tertiò*, casus, & censure Papales, quando factum, seu delictum est occultum, juxta celebre capitulum Concil. Trident. sess. 24. de Resor. cap. 6. (Excepto tamen homicidio voluntario. Item quando delicta prius occulta sunt deducta ad forum contentiosum; Item excepto crimine hæresis; Item exceptis irregularitatibus etiam ex delicto occulto provenientes; & attentato tantum foro conscientie, non autem externo. *Jordan ubi supra num. 90. & exceptis supradictis septem casibus Papæ reservatis post Concilium Tridentinum, cujus decreto Papæ derogavit. Jordan. ibid. num. 92.) Quartò*, Excommunicationes majores à Canonibus ipso Jure inflictæ, & nulli reservatæ; nisi consuetudo sit, ut à quolibet Confessario absolvantur. *Jord. d. lib. 3. tit. 4. num. 94. & 95. Quintò*, Crimen incendiatorum, qui domos, fruges, aliavè proximi bona, data opera incendunt, quivè mandatum, consilium, vel auxilium ad id præstant. cap. Si quis, & cap. Pessima, 23. qu. 8. Quòd tamen procedit, antequam prædicti denuncientur, & publicentur excommunicati; nam facta publicatione, neque Episcopus potest eos amplius absolvere, cùm sint remittendi ad Papam. cap. Tua, de Sentent. excommunicat. Et sextò, relaxatio juramentorum, nec non dispensatio, seu commutatio votorum. *Jordan, ubi ante num. 101. Et d. mea Decis. 41. num. 13. de Pœnit.*

9. *Quer.* An in reservatione casuum comprehendantur etiam pueri? *Resp.* Affirmative, quando tantam malitiam sunt assecuti, & tantam habilitatem, ut compleant peccata ipsa reservata. *Dian. par. 6. tract. 6. resol. 42. Coton. dist. lib. 2. controv. 7. num. 107.*

10. *Quer.* An reservatio comprehendat tantum peccata futura, an etiam præterita? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed cum distinctione videtur dicendum, etiam præterita comprehendendi, si reservatio facta sit in remedium præservativum; secus autem, si fuisset facta in pœnam, quia pœna non trahitur ad præterita. *Rota Decis. 818. num. 2. part. 3. divers. Coton. ubi supra num. 109.*

B b

11. *Quer.*